

nant, silentio præteriens, ubi virtutes quæ sacrum Pastorem decent, quæque apprime suspiciendæ sunt, commemoravi, reprehensioni obnoxius minime videri debeo. Si qui enim tuas laudes aggressus, de Gentis tuæ nobilitate, præclarisque gestis Majorum tuorum verba facere prætermittat: si te cultum Poetam passim ac jure habitum, cecinisse sacros amores, sublimioraque facinora (quam alioquin exercitacionem cum ANSELMO communem habes, nam ille Virgilii, aliorumque Romanorum Auctorum sæculi Augustæi lecticionem commendat Epist. 55. Lib. 1. versusque scripsit & ipse non inelegantes): si in Collectionibus Arcadicis Tua legi probarique ab omnibus poemata, haudquaquam promat; is nihilominus modestiæ tuæ potius rationem habere, dum ea silet, quæ Tu ipse contemnis, quam necessariam laudum tuarum partem neglexisse credendus est. Unum igitur superest, quod a Tua humanitate, atque animi Tui Celsitudine hic sperare audeo: nempe ut S. ANSELMI, itemque B. LANFRANCI, ac EADMERI (quos Dei facundissimos præcones, non tam ævi ratio, quam animi, studii, Instituti-que pii triplex vinculum copulavit) monumentorum sacrorum, quibus aliquid in hac Veneta Editione nitoris accessit, munusculum non spernendum, ea mente ac fronte a nobis suscipias, qua soles omnia, quæ ad Reipublicæ Literariæ & Christianæ decus ac præsidium spectant; & me in tuorum Clientum numero recenseri gestientem ne repellas. Bene vale; vitamque bonis charam, omnibus tuis utilem jucundamque ut diu vivas, Superi faxint. Id Tibi precatur ex animo

ILLUSTRIS. ac REVEREND. AMPL. TUE

Deditiffimus
Jacobus Fabritius P. V.